

D. D.
COGITATIONES SUBITANEÆ
DE
**SUBJECTO JU-
RIS NATURALIS,**

QUAS

*Venia Ampliss. Facult. Philosoph. in Reg.
Acad. Abgensi,*

MODERANTE

VIRO, MAXIME REVERENDO atq; CELEBERRIMO,
**DN. DOCT. CAROLO
MESTERTON,**

Log. & Metaphys. PROFESS. Reg. & Ord.

PRO GRADU,

Publice Defendet

JAHANNES J. WASANDER,

NYLANDUS,

IN AUDITORIO MAJORI

DIE XVIII. JUNII ANNI MDCCLXIII.

H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



§. I.

Quicumque adcurata mentis lance conditionem hominum penes se se consideraverit, facile deprehendet in non paucis eandem esse, quam perditissimam. Certo enim certius est, quod Divinorum oraculorum interpretes tradunt, post lapsum Adami amissam esse imaginem Divinam cum illis perfectionibus, quibus omnium rerum moderator DEUS humanam exornavit naturam, interim tamen rudera quædam remansisse in intellectu & voluntate. Hanc veritatem, licet verissima sit, non tamen erubescunt haud pauci eandem, tum contra facri codicis evidentissima effata (*a*) tum etiam rectæ rationis principia vacillantem & incertam reddere. Hinc quoque factum est, ut in determinando juris naturalis subjecto, immane quantum opiniones eruditorum inter se dispergant. Alii illud in lapsu pri-

mo-

morum Parentum aut penitus absorbtum, aut, si quod supersit, vacillans & incertum esse contendunt: vel cum Pyrrhonicis & sequioris ætatis Academicis in sola opinione collocant. Alii in rationali tantum natura regulam moralem constituunt. alii denique rationem animæ bestiali adserunt, quod magis forsan ingenii ostendandi caussa, quam serio fecerunt. (b) Et ut eo melius parum exercitato cæliginem offundere possent, omni nisu singularique acumine, & coloribus sapientiæ conquisitis, subtilitates probabiles reddere non intermittunt suas. Sed inconsiderata temeritatis & vecordissimæ imperitiæ est nota, falsa defendere & veritati aperi-
tissimæ adversari. Hi non perpendunt omnia nostra dicta & facta ad DEI gloriam & societatis emolumentum esse instituenda, quod LOCKIUS his expressit verbis, quæ svtice translata sic audiunt: *Jag håller före det vara hvar och en redelig mans oumgångeliga plikt, at gjöra sit Fädernes land all den tjenst, som han förmår, och den, som annat tänker, visar sig föga vara åtskild ifrån et oskäligt Creatur* (c) Sed paulo fusiis quædam hac de re in sequentiibus adducturi sumus. Tenuitatis autem suæ pro-
be sibi conscientia, quo par est verborum honore, Te C. L. obtestatur exilis mea minerva, velis hæcce tentamina benignæ sensuræ submittere, & benevolum eorum interpretem Te præstare.

(a) Rom. II: 14. 15. (b) Vid. Pufend. op. Maj. Lib. 2. §. 3. (c) vid. Hans dedications bref om Ungd. Uppost.

§. II.

Qvando animum in se advertit homo, suamque naturam attentius intuetur, deprehendit sibi esse concessas duas eminentissimas facultates, quarum altera vires exerit suas in ratiocinando, altera vero in eligendo bono, & a se malo quoemque removendo. Illa intellectus hæc voluntatis nomine venire solet. Hisce autem facultatibus hominem idcirco instructum esse a sapientissimo DEO, ut actiones suas liberas secundum voluntatem ejus instituat, hoc est, quid erga DEUM, erga se ipsum & alios homines præstare debeat, neminem latet. Quod si ita comparatum fuerit, quod nulli dubitamus, haud quaquam difficile erit judicatu, utrum detur *jus nature* an non: quippe quod nihil aliud est, quam complexus legum naturalium. Nisi enim hoc largiamur, vacillabit omnis doctrina moralis, nec poterit quisquam ob violata hæc jura reus agi; cum iniquissima sane videatur pœna, quæ statuitur in transgressor illius legis, cuius notitiam, debita cura adhibita, adquirere non potuit, adeoque nec illa obligari; quia obligatio legis præcedentem ejus cognitionem supponit, dixit WERNHERUS. (a) Præterea frustra hæc facultates homini concessæ forent, si non concederetur eum legi naturali obnoxium esse; nam adornare media sine fine, absurdissimum & plane impium est cogitatu de DEO, ceu ente sapientissimo perfectissimoque. Sed instituti ratio non permittit pluribus hac de re agere, hinc memores pro-

promissi, ad demonstrandum pergimus hominem solum subjectum hujus esse juris.

(4) Vid. Ejus Elem. Jur. Nat. & Gen. pag. 5. §. 7.

§. III.

Jus naturale, quatenus subjective consideratur, hoc est, quatenus reperitur in subiecto dirigendo, semper domesticam habet sedem in intellectu & voluntate, ceu potentissimis illis & facultatibus animæ humanae nobilissimis; hoc, quod de omni jure in genere adfirmandum existimaverimus, ne gratis dictum videatur, paucis demonstratum ibimus. Tria in primis sunt illa momenta, quæ in subiecto reperiuntur, priusquam sit capax legis ejusque obligationis, nimirum, intellectus, voluntas & dependencia a superiori. Hæc requisita adeo sunt necessaria, ut uno sublato, evanescat quoque notio legis subjective consideratae. Nam DEUS intellectum & voluntatem habet liberrimam, sed ideo legi non est obnoxius, quia nullam agnoscit dependentiam a superiore; & bruta animantia vicissim dependent a DEO, sed intellectu & voluntate libera de-stituuntur, adeo ut actionum suarum repugnantiam & convenientiam cum lege evolvere nequeant; nam sine notitia legis impossibile est actiones suas ad normam legis attemperare, ut ex dicendis ultius patebit. Leges civiles obstringunt non bruta animantia, sed cives, intellectu & voluntate prædi-

tos, hoc est, homines, qui intra limites unius e-
jusdemque territorii habitant, hoc est, qui poten-
tiam illius, qui legem civibus injungit observan-
dam, ob caussas justas agnoscere debent. Sed quod
de lege civili hae in re valet, id quoque de lege
naturali dicendum est; quia haec prædicata ex no-
tione legis generica profluunt. Apertissime hinc li-
quet, subjectum juris naturalis, prout aliorum ju-
rium, debere intellectu, qui est potentia cognos-
cendi, & libera voluntate, quæ est dūvauis eligen-
di, esse præditum. Bruta autem hisce carere præ-
rogativis multiplex loquitur experientia, quod et-
jam ex jam adlatis patet, & ex sequentibus ulte-
rius elucescat.

§. IV.

A Metaphysicis evictum est, brutis animantibus
esse concessas perceptiones sensuales, quibus rem
unam ab altera & a se distinguere valent, nec non
memoriam & imaginationem, sed destituuntur bru-
ta animantia perceptionibus rerum distinctis. Hinc
& nemo sanus negabit illa quoque destitui appetitu
& aversatione rationali, hoc est, voluntate, quæ
intellectum necessario præsupponit, sed si hoc ve-
rum est, non possunt non insimul carere bruta li-
bertate; quia ultra confusam cognitionem in co-
gnoscendo adscendere unquam nequeunt, quod ta-
men ad veram libertatem constituendam quoque re-
quiritur vid. Cel. Wall. Psyc. Rat. § 284. Hisce ob-
ser-

servatis, concludere licet, bruta animantia, quicquid agunt, non ex proæresi & rationis ductu, sed cæco naturæ impetu, semper uniformiter & necessitate intrinseca atque naturali agere, hoc est, per actum necessarium, ut loquuntur Metaphysie. Non a principio aliquo normativo, sed instinctu tantum naturali ad agendum determinantur. Non apprehendunt, quid sit illud, cuius beneficio cognoscunt, vel actiones edunt suas.

§. V.

Cum ita sit, ut bruta animantia agant juxta præscriptum ordinem, per potentias mere naturales, prout jam diximus in § antecedenti, nullo jure seu nulla alia lege directrice opus est ad dirigendas actiones Physice necessarias. Lex enim moralis præsupponit libertatem, quæ est *potentia activa*, que sponte & absque omni coactione, omnique necessitate & absoluta & physica, cum indifferentia exercitii, distingue cognita, se ad aliquid determinare valet (a). Deficiente autem illa, regula frustranea est, ut diximus. Nam lex propterea fertur, ut a malo abstracta hat eum, qui & malum & bonum potest sequi. Ille, ut rectitudinis tramitem non deserat, jure, cœu monitore obligante, opus habet, cuius libertas subinde in licentiam vesaniam degenerare potest. (b) Non quidem ignoramus plures dari actiones hominum atque brutorum inter se similes, quibus præstandis, homo legi satisfacere dicitur; attamen magna

gna est inter eas differentia, nam, quæ ex simpli-
ci naturæ impetu apud bruta animantia proveniant,
illæ in homine ex obligatione fieri debent, cuius
fensem ista non habent. (c) Nam vitia & virtutes
brutorum non proprie sunt vitia & virtutes, sed
vitiorum & virtutum simulacra. Quod ut ulteriori-
bus demonstremus brevitas proposita nos vetat. Ex
his manifestum est nullam communionem brutis eom-
petere cum juris naturalis præceptis. Nemo enim
eorum, qui citra præconceptas opiniones rem æ-
stimare velint, adprobare potest ULPIANI definitio-
nem: *Jus naturæ est lex, quæ omnia animantia do-
cet, nisi intelligat ḡ τρῶα καὶ Φύην*, seu prima na-
ture, a Philosophis sic appellata, quod etiam ipsum
ULPIANUM nonnulli intellexisse putant. (d)

(a) Vid. Cel. Wall. Psyc. Emp. § 657. pag. 808. &
Joh. Jacob. A'ryssel, jur. nat. & gen. Cap. 3. § 9. (b) Conf.
Joh. Fred. Horni Dissert. Hac de re agentem. (c) Vid.
Sam. Put. opus Maj. Libr. 2 § 2. (d) Vid. dissertationem
Pet. Darelia Upsaliæ ven. anno 1722. Præf. Joh. Steuchi
De Juventutis institutione &c.

§. VI.

Ad corroborandum ulterius assertum nostrum
conferre putaverim, si finis *juris naturalis* respicia-
tur. Nam vi hujus, ut reliqua siccō transeamus pe-
de, externa disciplina & tranquillitas inter homines
conservatur & hominibus quoque injungitur, ut DEus
glori-

glorificetur. Hoc *Jus* gentes cum gentibus conne-
tit, vitæ & officiorum communionem inter popu-
los, moribus & religione diversos, conservat. Hoc
mediante Regna & Potestates Civiles ineuntur, & i-
nita servantur. Sed num Patroni brutorum ani-
mantium, disciplinam quandam, morum honesta-
tem, civilem quietem beatitudinemque & celebra-
tionem summi Numinis in brutis reperiant? vix ac
ne vix quidem; nam hæc non capit bestialis ani-
ma. Dantur tamen Eruditi, qui commune jus ne-
mini esse volunt, nisi cum illis, qui ad easdem se-
etas concurrunt, sed frustra contra naturæ legem
& scripturæ sacræ veritatem (*a*) inter homines co-
gnationem sine jure & causa evertere conantur. (*b*)

(*a*) Ps. XXXIV: 13. Rom. XII: 18. Ebr. XII: 14. &c.

(*b*) Plura hac de controversia legi possunt in Joh. Tarnovii Libello, cui titulus: Num foedera cum diversæ religionis ho-
minibus salva iniiri possint conscientia.

§. VII.

Hæc veritas porro probari potest ex cuiusvis
hominis conscientia, quæ nihil aliud est, quam ar-
gumentatio de actionis conformitate vel difformita-
te cum lege. Solet hæc dividi, in *antecedentem* &
consequentem. Illa dictitat, quid faciendum quidque
omittendum ab homine sit, antequam omissum vel
commissum fuerit. Hæc est reflexio seu reminiscen-
tia

tia judicativa de commissis vel omissis, adprobans bene, damnans vero male facta. *Illa* magnam animi tranquillitatem, hæc gravissimos mentis cruciatus in homine, licet invito, exitant, prout eumque *ista* testimonium fert. (c) Quod hæc conscientiæ vis nulli externæ caussæ sit adscribenda, ipsa experientia plus satis demonstrat. Hinc quoque gentiles & profani homines ex hujus accusatione non fuerunt liberi, quod ipse Cicero & alii confessi sunt. (d) Nihil enim aliud est, quam actus prodiens ex habitu legis innatae, unde reciprocatur cum jure naturali. Sed memores curtae suppellectilis nostræ, hisce subsistere cogimur.

(c) Vid. Pufend. op. Maj. Libr. I. Cap. 3. § 4. (d)
Vid. Cicero pro Roscio.

SOLI DEO GLORIA!

